

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Simon Svlcervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

SIMON SVLCERVS  
Theologus.



*Sancta recensentem vera monumenta salutis,  
Pastorem coluit me Basilea suum.*

*M. D. XXCV.*

SIMON SVLCERVS BERNAE

Helueticorum vrbe celebri natus,  
anno M.D. llx.

Trium linguarum, & artium diuinarum atque  
humanarum egregiè pe-  
ritus:

Summos honores studiorum consecutus in  
Philosophia & Theologiâ:  
Post functionem Bernensem  
Academiæ & Ecclesiæ Basiliensis, cui nutricia  
sua liberali animo rependit, per annos XXXlll,  
verus vigilansque Antistes  
& Doctor:

Vtraque manu vineam Domini sui  
excoluit:

Scholam Theologicam erexit atque  
rexit:

Fidâ docendi assiduitate suspiciendus:  
Vitæ sanctimoniam etiam probis  
imitandus:

Vixit annos LXXVll: Obijt anno Sal.  
M. D. XXCV. XXll. Iunij.

IN SIMONEM SVLCERVVM  
Theologum.

P. CANDIDI.

*Antistes Basilea tuis qui praesuit aris,  
Sulceri brevis haec ora tabella refert.*

CAROLI VTHENHOVII.

*Qui pia sincerè populum mysteria Christi  
Ex Euangelicis fontibus hausta doces:  
Numinis & cultor qui sincerissimus idem,  
Acer ad obsequium cerneris ire Dei:  
Omen ab obsequio nomenq; Simonis adeptus,  
Postmodò Sincerus, non mihi Sulcer eris.  
Fallor? an & medicas anima curare per artes  
Vlcera Sulcero pulcher Apollo dedit?  
An quia Sal terra vos Christus & ipse vocavit,  
Diceris & puri lucida mica salis?  
Quem sale non parco Christus donauit Iesus:  
Quo sine nil sapiunt omnia nostra Sale.*

ABRAHAMI SCHVARZII

Alemani.

*Sincero Ch. defendi dogmate laudes:  
Et purâ sui mystica verba fide.  
Ore Deum & calamo docui, diuosq; fidelis  
Explicui doctâ simplicitate libros:  
Me Christum verè didicit Basilea docente,  
Atque vni totâ fidere mente Deo.*